

1538 *Fortitate magna rebus publicis detrimenta illata esse? Romanos luculentos harum rerum testes existere: majores nostros nullis coactam terminis magistratuum potentiam, uti nonnunquam reipublicae labem injecturam, exhorruisse: imperatoriam dignitatem, cujus summa est auctoritas, Senatus jussis, ac decretis temperasse. At mandatum id anno superiore: inde causas belli exortas. Quid vero aliud injungendum Pesareo erat, nisi ut, pace non adhuc ab hoste violata, praesertim cum ille Apuliam invasurus esset, extra sinum liberiori mari se contineret? neque inde, sed aliis de causis ad bellum ventum esse.*

*Senatus decretum de mandatis Capellio mittendis.*

*Delectus militum a Venetis in Piceno habitus.*

Hæc cum in utramque partem adducerentur, frequens Senatus ex Collegii Patrum sententia scribendum Capellio censuit: illud quoque adjectum, ut quamprimum se cum foederatis conjungeret; cum pontificio, & Cæsareo imperatoribus de bello consiliis initis, quæ major pars statuisset, ea mature exqueretur. Novem ac quadraginta triremibus classis Veneta constabat, inter quas cum plures, navalibus sociis interitu absumptis, aut ægritudinibus confectis, ad munera maritima obeunda parum idoneæ essent, ut aliæ triginta militariter instruerentur, decretum: una & viginti leviores, tres nothæ, sex e majoribus, quibus præfectus a Senatu, quatuor librarum aurearum stipendio in mensem, tribueretur. Huic injunctum, ut Anconem ad quinque peditum millia, qui in Pontificis, atque Urbinatis ditionibus conscribebantur, subducenda profisceretur, quibus Illyrici, ac reliqua Reipublicæ maritima oppida firmarentur; mox imperatori se adjungeret, quinqueringibus, ac nothis præset. Statim vero quinqueringes lustratæ cum sexcentis peditibus in supplementum classi missis, e portu solverent.

*Cassinus Nauplium aggreditur.*

*Subsidium Nauplium delatum.*

Dum hæc agerentur, vario, ac dubio Marte in Reipublicæ ditionibus certabatur. In Peloponneso Cassinus præfectus, qui superiore anno Nauplio, atque Epidauro tentatis, sex passuum millibus Argis castra posuerat, anni initio Nauplium adortus, dispositis tormentis moenia coepit quatere; quo propugnatoribus majorem terrorem incuteret, ad magistratum, ac populum literis scriptis, quibus ad deditionem, multis pollicitis præmiis, alliceret; minas, & gravia quæque, ni mature se dederent, comminatus. Verum ardens adeo voluntas, ac studium